Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 751
Quelle:
Copyright:

calcem adjecerat, sed totam paene clausulam erasit stupor quidam hominis, quo tamen vel invito legemus: — — *completus Anno d. 1375. in mense Julij* — —.

CCCL.

R. 3034 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 132. f. per duas columnas non una manu scriptus, coloribus distinctus, et fronte D. *Augustinum* cuidam de Ordine Minorum librum tradentem cum aliis 2. Sodalibus inferne adpictis exhibens varia continet, quae sequuntur: I. *Incipiunt flores super libros beati augustini collecti per venerabilem doctorem et magistrum sacre theologie videlicet fratrem franciscum maronis* (de Mayronis) *de ordine fratrum minorum.* Dedi alio Codice *Flores Augustini*, id est, ipsas ejus Sententias e variis Libris κατα λεξιν exscriptas. Non sic *Gallus* noster, *Doctor* olim *illuminatus* dictus, et a. 1325. vivis exemtus. Ejus institutum est, praecipua momenta, quae *Veritates* adpellat, ex Operibus repraesentare, et ita commentari potius in *Augustinum.* Unde sic orditur: *Flores beati Augustini in libro de ciuitate dei sic colliguntur per ueritates. Prima ueritas est quod illa disciplina que a teneris annis est imbibita est magis diuturna. cuius rationem assignat* &c. Ita post LL. *de Civit. Dei* percurruntur Tractatus *super Genes. contra Manichaeos, Contra Adamantium, De Trinitate, De Doctrina christiana, De Mirabilib. S. Scripturae, Confessiones, Octoginta Quaestiones, Quaestiones super Matth.* et *Lucam*, et *de diversis Scripturis, Sermo de Stoicis et Epicureis*, et *de eo, quod dictum est: Ego sum, Super Genes. ad literam*, et *Retractationes.* Adferunt *Maittairius* et *Fabricius Augustinum de Civit. Dei Tolosae* a. 1488. impressum, in quo inesse deberent *Veritates* nostrae; sed Titulus ejus e *Crevennae* Catalogo a *Panzero Annal. Typogr. Vol.* III. p. 50. relatus tantum Commentariorum *Thomae de Valois* et *Nic. Triveth*, complementique *Nic. Cerseth* meminit. Librum ipsum non vidi. Quod si fortassis ea etiam contineat, quae *Mayronus* in LL. *de Civit. Dei* adnotavit, num illa habet, quae in reliquos Tractatus hic a me enumeratos?

II. *fol.* 120. *Incipit liber beati Augustini de heresibus.* Nempe ad *Quodvultdeum.* Ita: *Cum dominus ascendisset in celum, heretici exorti sunt.* Igitur abest tota Praefatio, et continuo Elenchus Nominum 90. succedit; additi enim sunt post *Augustini* tempora *Nestoriani* et *Eutychiani*, quorum Articulos *Mauriani* T. VIII. *Opp. col.* 28. in Notis subjunxere, sed in Codice nostro praeter hos Articulos etiam Historiola Damnationis utriusque Sectae legitur, quam excipit *Augustini* Peroratio: *Ecce multas commemoravimus heresis* &c. Ad hujus demum calcem sic: *Quidam libri sic habent in fine. Encratite nupcias dampnant, carnibus non uescuntur, saluti primi homi-*